

ex consuetudine personaliter non accedit, affirmat quod jus praecedentiae in reliquos Parochos competat Curato Beneficiato Ecclesiae S. Nazarii, quem mittere solet uti substitutum. De quo quidem jure praesumpto quum merito conquerantur ceteri Parochi, religiosissimus idem Episcopus, ne ordinaria auctoritate sua quidquam in re decerneret, S. R. C. supplex adivit atque ingenue singula exponens humillime rogavit, ut super sequentibus Dubiis sententiam suam aperire dignaretur, nimirum:

1. An Parocho S. Nazarii consuetudo suffragari valeat ne personaliter ad Processiones accedat ad easque compelli possit?

2. An in Processionibus, in quibus Parochi urbani bini post Clerum Urbis incedunt, Substituto Parochi S. Nazarii vel alterius Parochi competat jus praecedendi, quod ipsi competere Parocho, si personaliter accederet?

3. An ob civiles vicissitudines et ordinationes cessata Collegiata S. Nazarii ejusdem Clero in Processionibus jus adhuc competat?

4. An cessata, ut supra, Collegiata Parochus Divina Officia in Pontificalibus celebrare possit et quatenus affirmative?

5. Utrum praefatus Parochus ad parendum Episcopi mandatis cogi et si opus sit etiam puniri ab Episcopo possit per prohibitionem celebrandi in Pontificalibus ad tempus determinatum?

Et Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunati post auditam a subscripto Pro-Secretario fidelem relationem rescribendum censuerunt

Ad 1.: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.“

Ad 2.: „Negative.“

Ad 3.: „Negative.“

Ad 4.: „Afferendum privilegium, ut examini subjiciatur.“

Ad 5.: „Affirmative in omnibus.“

Atque ita rescribendum, definiendum servandumque mandarunt. n. 5171.

Die 25. Sept. 1852.

Parochus exceptis iis, quae sunt sui officii, nullam regulariter praecedentiam et praeeminentiam habet, atque hinc est, quod parochus in choro locum altiorem et ornatiorem habere nequit, quam caeteri presbyteri inibi assistentes. *Ro'a in Pampilon. mantentionis 10. Maii 1707 cor. b. m. Cafarello*, ubi, quod nec in sede sed in scamno sedere debet si caeteri in scamnis sedeant.

Praecedentia, quae debetur parochis perpetuis, eadem debetur Parochis et Curatis amovibilibus ad nutum, quia etiam hi gaudent praerogativis parochorum perpetuorum.

S. C. C. 27. Mart. 1706. *In una Comensi.*

Et hoc procedit etiam in eorum Substitutis et Subrogatis.

S. R. C. 20. Jan. 1691.

12) Praedicator.

Vd.: *Praedictio Parochi.*

13) Protonotarius.

Vd.: *Paroch.* (adm. Sacram.); *Protonot.*

Parochum uti Protonotarium almutia nullatenus uti posse. n. 1837 ad 2 die 4. Aug. 1657.

Non licere parocho protonotario apostolico in administratione Sacramentorum et in funeribus adhibere habitum praelatitium et quatenus interesse velit

Clemens PP. XII.

Abbas gener. Ordinis Canonicorum Regul. s. Antonii Viennen. jubet, ut nemo comas adscititias, vulgo Parrucca dictas, assumat sub poena suspensionis ipso facto incurrendae. Circa eos autem, qui hujusmodi comis fictitiis seu parruccis nunc utuntur, decernimus, ut, nisi eas deposuerunt intra annum a praesentium intimatione computandum, simili suspensionis poenae exemplo subjaceant, stricte injungentes omnibus et quibuscunque Superioribus Dommorum Nostrarum, ut praesens decretum in Oratorio publice legi ac sedulo observari curent.

Nos (Clem. XII.) praesertim Ordinationem dicti Abbatis cum omnibus et singulis in ea contentis approbamus et confirmamus, necnon quascunque licentias gestandi caesariem praedictam per quoscunque dicti Ord. Canonicos Regul. tam a Nobis quam a Nostris et Sedis ap. Nuntiis seu a quibusve aliis sub quocunque praetextu obtentas tenore praesentium annullamus, cassamus et irritamus ac nullius roboris et momenti esse et fore declaramus.

Datum Romae 9. Sept. 1739.

(Bull. r. t. XV. p. 298.)

Immo neque in Choro potest portari Coma fictitia, seu, ut vulgo dicitur, Parrucca: Sac. Congreg. Conc. in una Bergamensi 9. Dec. 1690.

Et tanto minus Coma fictitia seu Capillitium ascititium potest deferri et retineri in actu celebrationis Missae, ut expresse prohibuit Innocentius XI., ut patet ex Decreto de ejus mandato publicato in Dioecesi Colon.

Die 21. Mart. 1689.

Melphiten.

(Conc. Tr. C. 6. S. 23. De ref.)

Instante Episcopo Bituntino Sac. haec Congregatio die 13. Septembris

uti Protonotarius, eidem proinde non competere praecedentiam supra Canonicos vel locum inter Canonicos juxta Caeremoniale lib. I. cap. XIII. n. 2131 die 3. Sept. 1661. Idem Decretum est n. 2198 die 23. Decb. 1662 cum appendice: Idem intelligendum esse in processionibus generalibus et particularibus, quibus idem parochus interesse velit.

Vd.: *Processio* (Clerus saecul. — Cler. Colleg. supra paroch.).

14) Quis est?

Titularis Capellae (decr. n. 5050).

15) Sacerdotes approb. ab Episcopo sui loco deputare debet.

Vd.: *Parochus* (administ. Sacrament.).

16) Sedes.

Parochos manutenendos esse in sessione sedendi in stallis canonicalibus post omnes Canonicos. n. 1301 die 23. Mart. 1641.

Vd.: *Paroch.* (praeced., ult. decr.)

PARRUCCA.

Vd.: *Tonsura* (decr. n. 5054); *Missae* (Celebrans sedere non debet; Epist. PP. Bened. XIV. n. XXII. sub finem.); *Habitus Clericor.* (§. 8.).

Non licet Canonico Cathedr. Burgi gestare capillos fictitios, vulgo *Parrucca*, in deferendo SSimum processionaliter immediate post missam ab eodem cantatam tam in Cathedr. quam per civitatem. n. 3516 ad 4 die 4. Apr. 1699.

Nec licet Parruccam deferre Praeposito et aliis Canonicis Cath. Burgi *missas* celebrantibus.

Ibid ad 5.

Missae non potest celebrari cum caesarie ficta. S. R. C. 3. Aug. 1652.

Vd.: *Edictum Clem. XI. die 4. Maii 1701* in Bull. r. t. VIII. p. 451.

gumenta a Synodis deducta pro gestatione Parruccae in casu necessitatis; in Synodo quippe Bononiensi anni 1698 lib. 3. cap. 1. prohibetur Clericis adultrinum Capillitium, sed subditur limitatio: *nisi ex causa nobis vel Vicario nostro cognita indulgendum ad tempus arbitramur*; et in Synodo Asculana anni 1719 cap. 20. n. 3. fictitia Coma Clericis vetatur, *nisi ex justa et rationabili causa dispensationem impetraverint*.

Promotor econtra Fiscalis Curiae Episcopalis Melphiten. excipiebat et excipit, primo: inter suae Dioecesis Clericos Parruccae gestationem esse prorsus inusitatam; secundo: unicum esse Gadaletam, qui eam audeat velle deferre; tertio: se praevidere multos alios eam esse assumpturos, si gestatio Gadaletae indulgeatur; quarto: eum prospera valetudine frui; quinto: non esse ullo modo deferendum attestationsi Medicorum utpote ad placitum exaratae, et multo magis, cum in aliis rebus deprachensum fuerit eosdem Medicos nimium indulsisse genio requirentium. Addi posset, quod cuicumque morbo, cui Coma fictitia opitulari potest, aequale remedium parari valet ex usu pileoli, uti prosequitur *Thiers in citato tract. p. 490*, ubi refert, Innocentium IV. Monachis S. Benedicti, qui erant Canonici Ecclesiae Cantuariensis, permisisse, ut tempore Officiorum Divinorum pileolis uti possent ad morbos avertendos, quos contraxerant ex Ecclesiae humiditate Officium nudo capite recitando, et in eo demum, quod spectat ad supra relatam licentiam clar. mem. Card. Grimaldi, praetermissis responsionibus, quae ex ejus lectura facile colligi possunt et salva reverentia, quae ejus nomini et dignitati jure merito debetur, dici potest, eum suas facultates excessisse; non potest etenim Episcopus dictam concedere licen-

tiam, uti habetur *ex canone: nullus Episcopus 57. de consecrat. dist. 1.*, et facit Decretum Generale Congregationis Sacrorum Rituum impressum in principio Missalis; ibi: *nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicae, non obstante quacunque contraria consuetudine*; et late prosequuntur *Gavant. ad rubr. Miss. par. 2. tit. 2. de ingressu Sacerdotis ad Altare lit. F., Theophil. Raynaud loc. cit. §.: Nunc econtrario; Monacell. in formul. legal. tom. 4. p. 32 n. 14.*

Anno quoque 1690 de ordine s. m. Alexandri Octavi examinatum fuit in Congregatione particulari: an *subsisteret doctrina Pasqualig de sacrificio novae legis quaest. 83., quod Missa celebrari posset cum Parrucca, licet modesta?* Et responsum fuit: *Negative, uti habetur apud Ursayam instit. criminal. lib. 1. tit. 10. §. 4. n. 51.* Tempore item s. m. Innocentii XII. Encyclicae literae ad Nuntios scriptae sunt, ut Ordinarios admonerent, ne id fieri permitterent in suis Dioecibus, uti habetur apud *Anaclet. lib. 3. tit. 1. §. 3. n. 93.*, et sacra haec demum Congregatio die 6. Jun. 1716 instantiam rejecit Sacerdotis supplicantis pro facultate Missam celebrandi ficto capillitio propter falsi humoris labem, qua caput laborabat.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An Edictum Reverendiss. Episcopi substineatur? Et quatenus affirmative;*

II. *An sit toleranda gestatio Parruccae in casu, de quo agitur?*

S. C. resp.

ad I.: Affirmative;

ad II.: Negative in casu, de quo agitur.

Die 8. Aug. 1722.

PARTICULAE S.

(Renovat.)

Vd.: *SS. Sacramentum (renov.)*.

S. PASCHALIS BAYL.

(Dies festi.)

Vd.: *Calendar. Congreg. SS. Redempt. (decr. n. 4842). De ejus Canonis. vd.: Bull. Innoc. XII. die 15. Julii 1691 (Bull. r. t. XII. p. 76.)*.

Pius PP. VI.

Nuper ad preces carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici emanavit a Congregatione VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris, qui sequitur videlicet:

URBIS ET ORBIS.

„Ad enixas piasque preces per equitem Josephum Nicolaum de Ozara nomine serenissimi regis Hispaniarum sanctissimo Domino nostro Pio PP. VI. porrectas pro extensione ad Ecclesiam universalem officii et missae de comm. conf. non pont. cum oratione et lectionibus 2. n. propriis sancti Paschalis Baylon jam adprobatis, Sanctitas Sua ad infrascripti secretarii relationem petitis benigne annuens supradictum officium cum missa in memoriam praedicti sancti Paschalis, a clero tam saec. quam regulari utriusque sexus Ecclesiae militantis, qui ad horas canonicas tenentur, quotannis die 17. Maii sub ritu duplicis minoris servatis breviori ac missalis Romani rubricis, recitari ac respective celebrari praecepit.“

Die 13. Martii 1784.

Loco † Signi.

J. Card. Archintus praefectus
C. Aioldi S. R. C. Secretarius.

Cum autem, sicut dictus Carolus rex Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiti plurimum desideret, Nos specialem ipsi Carolo gratiam facere volentes supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati decretum praecursorum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregatione Cardinalium.

Datum Romae die 30. Mart. 1784.
(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 273.
Ed. Rom. 1843.)

PASSAVIENSIS ECCLESIA.

De Pallio et cruce praeferenda Episcopo hujus Ecclesiae, vd.: Constitut. Bened. XIII. Cal. Jun. 1728.
(Bull. r. t. X. p. 357. Ed. Luxbg.)

PASSIO.

1) Cantor.

Caeremoniale non tollere immemorabiles et laudabiles consuetudines; et licet in eo dicatur, quod Passio in Dominica Palm. et fer. VI. Parasceve decantetur a Cantoribus, non ex hoc prohibetur, quominus a *Canonicis* decantari possit et debeat, maxime, ubi viget haec consuetudo. n. 458 die 7. Julii 1612.

Curatos Ecclesiarum paroch. ss. Jacobi et Michaëlis civitatis Hispanen. obligatos esse et teneri in die dominico Palmarum canere passionem Domini. n. 2351 die 19. Decb. 1665.

A Magistro Caerem. *Hispalen.* relatum est: In missis hebdom. majoris canitur aliquando passio non solum a Subdiaconis, verum et a laicis et multoties ab uxoris contra Caer. (lib. II. cap. XXI.) Adest etiam consuetudo, ut in missa

1675 decrevit Clericos etiam Possessores Beneficiorum infra summam ducatorum 60. auri de Camera esse obligatos ad deferendum habitum et tonsuram Clericalem sub poenis, de quibus in Constit. 92. Xysti Quinti, et opposentibus Clericis Melphitensibus memoratam Xystinam Constitutionem fuisse ab alia subsequenti ejusdem Pontificis, quae incipit: *Pastoralis*, revocatam, itaut Possessores Beneficiorum infra summam expressam ducatorum 60. auri de Camera ad delationem habitus et tonsurae Clericalis minime censerentur adstricti, S. haec eadem Congregatio die 4. Septembris 1677 respondit: dictorum Beneficiorum Possessores teneri ad deferendum habitum et tonsuram Clericalem, non obstante allegata Constitutione *Pastoralis*, uti habetur lib. 29. decret. p. 147 et 500; Clericique dictae Dioecesis Melphitensis abinde citra promptissime paruerunt, et, teste Episcopo, tonsura Clericalis debitum modis et formis a singulis dictae Dioecesis Clericis delata est et defertur.

Anno praeterito praeter Dioecesis morem Marcellus Gadaleta Clericus Beneficiatus sibi Comam ascititiam vulgo Parruccam imposuit et Episcopus ad sartam tectam conservandam sui Cleri disciplinam necessariam esse existimavit edicti publicationem, in qua tam Clericis Beneficiatis quam aliis constitutis in Sacris Ordinibus praedictae Comae delationem prohibuit sub poena etiam Excommunicationis et quoad Clericos primae Tonsurae et Minorum Ordinum id ipsum decrevit sub poenis tamen arbitrariis ad tramites Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini, assignato duorum mensium termino, intra quem, qui Comam ascititiam deferabant, eam deponere deberent; cumque elapso termino et prosequente Marcellus in Comae delatione res eo devenerit, ut Episcopus eum fecerit

arrestare et ab ejus capite capillitium detrahere; exorta subinde est controversia eademque ad hanc Sac. Congregationem delata, licet ipse, coram quo tanquam Secretario Sac. Congreg. jura deducta sunt, crediderim esse locum executioni edicti Episcopalis, provocante nihilominus Marcello Gadaleta ad S. Congregationem, de duobus in praesenti est inquirendum, de subsistentia videlicet vel insubsistentia edicti Episcopalis et an sit toleranda gestatio Parruccae in casu, de quo agitur.

Quoad subsistentiam edicti, gestatio Comae ascititiae erat olim de genere prohibitorum etiam quoad foeminas juxta illud *Tertulliani lib. de mulierum cultu*, ibi: *si non pudeat enormitatis, pudeat inquinamenti, ne exuvias alieni capitis forsitan immundi, forsitan nocentis et gehennae destinati, sancto et christiano capiti supparetis*, et erudite prosequitur *Christianus Lupus* ad Concilia Generalia et Provincialia tom. 3. dissert. de actis S. Leonis Noni cap. 15. in fine, eademque delatio nunc est saltem de genere prohibitorum quoad Clericos, uti monet *Sausai* in sua Panoplia Clericali par. 2. lib. 5. cap. 1. et late prosequitur *Joannes Baptista Thiers* in sua histor. gallice conscripta de Parruccis, consonantque plures dispositiones Synodales; in Synodo etenim Melitensi anni 1703 sess. 3. cap. 1. num. 7. sic legitur: *nullus nedum ad sacros, verum etiam ad minores Ordines promotus et primo tonsura initiatus Comam nutriat, multoque minus fictitiam deferat*. In Synodo Pisana anni 1708 cap. 25. sic disponitur de Clericis: *Comam saecularium more non nutriant, quominus ascititiam deferant, vulgo Parruccam nuncupatam*. In Synodo Dioecesana Montis Falisci anni 1710 cap. ultimo num. 2. sic fuit de Clericis statutum: *Severiores poenas, etiam Carceris, si moniti*

non paruerint, luent illi, qui ementitam caesariem assument et gestabunt. In Synodo Portalegren. anni 1714 sess. 3. cap. 1. ibi: *Omnes autem nedum in sacris verum etiam in minoribus constituti Ordinibus et prima tonsura initiati Comam non nutriant, sed eam ita brevem habeant, ut aurium extremitates pateant, nunquam vero ascititiam italice Parruccam*. Et in eo, quod attinet ad poenas in edicto Melphiten. impositas, sciendum est, quod imposita ab adhuc vivente D. Sarnello Episcopo Vigilien. in suo edicto edito die 29. Junii 1697 poena Excommunicationis ipso jure adversus Clericos in sua Dioecesi Comam fictitiam seu Parruccam deferentes appellatio fuit ad S. Sedem interposita, et deputata Congregatione particulari, haec die 20. Maii 1699 fuit in sensu pro moderatione decreti, hoc est pro poena Excommunicationis adversus Clericos Beneficiatos et alios in majoribus Ordinibus constitutos et quod adversus Clericos primae Tonsurae et Ordinum minorum Parruccam deferentes procederetur ad tramites Sacror. Canonum et S. Concilii Tridentini cap. 6. sess. 23. de refor., uti habetur lib. 49. decret. p. 206 §. 26., et referunt memoratus Episcopus *Sarnellus* tom. 4. suarum epistolarum discursu de Parruccis c. 13., *Monacell.* in formul. legal. in append. tom. 1. fol. 359. n. 19. et 20.

Haec quoad primum dubium; transeundo ad secundum, vis coram Me constituebatur a Clerico Beneficiato Marcello Gadaleta in necessitate, in qua pro tuenda propria valetudine constitutus est, itaut ad advertendos morbos indigeat gestatione Parruccae juxta Medicorum attestationem. *Concurrente autem necessitate non videtur Clerico licet Beneficiato prohibendum, quod Comam deferat fictitiam, modestam tamen et a luxu alienam*, uti docent *Anaclet.* ad lib. 3. decretal. lib. 3.

tit. 1. §. 3. n. 90., *Ursaya* instit. criminal. lib. 1. tit. 10. §. 4. n. 51 et seqq. et in fortioribus, *quod concurrente necessitate Sanctum Missae Sacrificium celebrari possit a Sacerdotibus etiam cum Parrucca et praesertim, si haec facit unum moraliter cum capite nec a Coma nativa internoscitur*, docet *Theophil. Raynaud* oper. tom. 13. de pileo et caeteris capitis tegminibus sect. 2. §.: *Nunc econtrario versus finem; et celebris est licentia a clar. mem. Card. Hieronymo Grimaldo Aquensi Archiepiscopo concessa et impressa apud Thiers in allegato tract. de Parruccis p. 373, quae est sequentibus verbis concepta: Visa attestatione Magistri Doctoris Medici, quapropter vertignis, quae pateris in comoda, unde nisi de opportuno provideatur tibi remedio, etiam mors forte consequeretur, caesarie tibi opus esse testatum fecit, nos, visa ea attestatione supplicationi desuper per te nobis factae annuentes, tibi, ut caesariem, etiam sacrum faciendo, gestare possis et valeas licentiam et facultatem impertimur in Domino. Memineris igitur non indultum hoc esse vanitati sed necessitati concessum; quapropter non solum monitum te esse volumus, ut coronam non erubescas, sed et praecipimus tibi, quatenus qui in tonsurae clericalis susceptione capitis Comam deposuisti, caesariem sic componendam cures, ut et color aetati in senium inclinati congruat et pateant aures et corona sacerdotalis appareat; nec enim ea nostra mens est, ut cum in Presbyterali Ordine sis constitutus et seniles atque graves mores pro status ratione praeferre debeas, juvenile et mundanum ornamentum, quod et clericalis tonsurae et novissimorum memoriam imminuat aut penitus tollat laicisque scandalo sis, gestare valeas*. Et praescindendo a Missae celebratione non desunt ar-